

perpetuo exercitu, quid de una Religione, quæ libertas debeat esse tributorum, quæ Auctoritas primariorum Ministrorum. Ista enim si rite fuerint ordinata, de minoribus statui poterit sine periculo.

XLVII. Existimatio Regum passim commendata *Lib. I. cap. 10.* in Archombroti & Arsidæ colloquio nimium augeri posse demonstrat ut, si concilientur Viri per universum orbem clari vel magni, datisq; muneribus vel alliciantur, vel inter amicos recipiantur. Quis enim hunc contemnat, quem melior hominum pars aut publicè deprædicat, aut aperte contemnere non sustinet.

XLVIII. De Arcibus earumq; Præfectis Cleobulus prudenter differit *Lib. III. cap. 4. & 6.* ut svadeat plerasq; destruendas, quod non conducant tutando Regno, sed receptum præbeant Præfectis ad defectionem pronis: quin etiam, si quæ paucarum arcium foret necessitas, ne potestatem aliqui nanciscantur perpetuam, sed ambulatorio munere deterriti Regem omnes observent: Nec iis functionibus adhibeantur nimium divites & potentes, qui abuti hoc munimento possent, sed mediocres, quorum Salus a liberalitate Regis pendens, rebus novandis sive per imbecillitatem, sive per æmulorum perspicacem vigilantiam non sufficeret.

XLIX. De perpetuo Exercitu *Lib. IV. c. 4.* controvertunt severior Eurymedes & mitior Dunalbius, Rege tandem interponente sententiam mediam. Eurymedes homo militaris urget apparatus tempore etiam pacifico necessarium, quod ad timorem adacti Cives seditionum occasionem occupari intelligant: nec moratur onera populis inde imponenda, cum multo minora ea putet direptionibus & injuriis in libera seditionum petulantia timendis. Dunalbius Sacerdos & pacificis consiliis propior periculosum accusat remedium, quod seditionibus compescendis inventum, graviores tumultuum militarium motus jubet metueri, si postmodum milites suis meritis feroces plura petant, quam ferre potest Respubl. vel plura eripiant, quam patitur Reip. securitas: additq; innatum Civibus inermibus adversus armatos odium, quo necessario conciliantur Oppida, Vici, Pagi. Meleander Rex militi & populo gratificaturus, medium observari posse tradit, si Exercitus non alatur nimius: dimidia pars semper Regem comitetur, altera portio sex menses alibi exercitiis & laboribus militaribus invigilet: stipendia prompte solvantur, delicta severe judicentur, nec quisquam Tribunus ab alio dependeat nisi à Rege.

L. De